nima spes lucri affulserit, praeternavigat; totas noctes in-
somnes ducit, famem, sitim, aestum, frigus tolerat, et quod
suo genere, et dignitate prorsus et indignum est ex re quae-
libet, vt Vespasianus Imperator, date Veniam Verbo, ex lotio
sordidum quaestum facit, vniversum et Mortalium genus de-
vorare, et maximo omnium detrimento, vt sibi soli prosit,
esse non abhorret, modo loculos suos expleat, alienos expilet,
quodque leges Vetant, licentia sibi sumit, Vnde hoc modo ratio-
nari saepe eum audires: O cives, cives quaerenda pecunia primum
Virtus post nummos. quorsum Virtus, quorsum probitas? quae
laudatur quidem, sed alget, vnicum ego pecuniae studium amplectar
hoc famam, nobilitatem, honores, dignitatesque donat, huic obediunt
omnia, hac vel Dij capiuntur. In pretio pretium est, dat census ho-
nores; igitur terminos proximi transferam, furabor, rapiam.
Homines profecto si modo homines, et non potius Harpyae dicen-
di sint, qui vel a statuis farinam exigerent. Luxuriosa
res est Vinum, tumultuosa ebrietas, sed longe nocentior avarus
fuerit, quo scelestius esse nihil potest. Ebrius post factum agno-
scit delictum suum, ac poenitentiam agit; homicida in furo-
ris Vim, ac iram transfert crimen, et satis maleficium assignat
et Vterque non semper, sed raro, et casu quodam, et inviti pec-
cant, at avarus nihil habet, quo noxium resurget animum.
O diram, et non nisi corporis, et animae interitu exple-
bilem sitim auri, quid non mortalia pectora cogis? Sed quid
tantis curis, tantis laboribus, tantis periculis congestae opes?
forte felicem, ac Beatum reddunt possessorem suum? forte
suaviter deinceps, ac delicate Vivere, bonisque suis vti, se-
curesque frui sinunt? omnino hunc fructum maximis peri-

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 118v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/118v)